Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8321
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



maximū inciderent. Sequitur. Et nos testes sumus omnium que fecit
in regione iudeorum et ierusalem. Recte autem se testes esse testantur qui per
universum mundum missi sunt euangelium predicare. ut in psalmo legimus.
In omnem terram exiuit sonus eorum. et in fines orbis terre uerba eorum. et in fi-
nes. Vs patet. per duas in xpo operatur naturas. Per unam que ei communis
est cum deo patre. ex eo quod deus est. per alteram que ex uirgine maria
homo est. Per has duas naturas in uno dei filio duas pariter facit resurrec-
tiones. humani generis. i. animarum et corporum. Habent enim et anime
mortem suam in impietate atque peccatis. secundum quam mortem mortui
sunt. de quibus idem dominus ait. Sine mortuos sepelire mortuos suos. ut scilicet
in anima mortui. in corpore mortuos sepelirent. Mors est uidelicet anime.
quando deus deserit eam. ob peccatorum magnitudinem. corporis mors est. quando
ab anima deseritur. Ab his duobus mortis generibus resuscitatos. duas dicimus
resurrectiones. Hunc animarum in ecclesia per filium dei hoc est uerbum dei
fit resurrectio. quando per gratiam dei uiuificati resurgant a morte
iniquitatis. Et hec est prima resurrectio quam qui habent. in secunda quae est
corporum. feliciter resurgant in uitam eternam. Resurgent impii unus
quisque in carne sua ut cum diabolo et angelis eius puniantur. Hoc cer-
tissime sciendum est. quia nemo nisi per indebitam misericordiam dei liberabitur.
et nisi per debitum iudicium dampnabitur. Tunc sancti sciunt plenius quid boni
contulerit eis gratia. uel quid essent consecuti. si diuina eos gratuito munere
non elegisset misericordia. Tunc erit ipse deus societas sanctorum beatorum iocunditas.
et omnia quecumque ab eis honeste desiderari possunt. et uita. et salus.
et copia et gloria. et honor et pax. et eterna beatitudo. et beata
eternitas. cui sit honor et gloria. nunc et semper et in secula seculorum amen.
In diebus illis. Surgens paulus et manu silentium Lectio Actuum apostolorum.
indicens ait. Viri fratres. filii generis abraham et qui in uobis timent
deum. Et cetera. Omnes quibus iste loquebatur apostolus secundum carnem filii
abrahe erant. sicut et ipsi de ipsis in hoc loco dixerunt. Semen abrahe
sumus. et nulli seruiuimus unquam. Et iterum. Pater noster abraham est. Et dominus
illis. Scio quia filii abrahe estis. Imitatione enim non filii abrahe
erant illi. quibus dominus loquebatur. Vos ex patre diabolo estis. Vnde
et iudei filii diaboli non nascendo. sed imitando. Vos inquit dominus
ex patre diabolo estis. et desideria patris uestri uultis facere. Ecce